

DE ALMO
DVCE HVNGARIAE,
DEQVE DVCIBVS HVNGARORVM IN VNIVERSVM.



Qui in Hungariae in se ipsam diuisae tempora incidit,
Almum Ducem, e Seculi XII. primordiis, per
hanc scriptionis opportunitatem ab obliuione
vindicare institui. Insignis Hungaricae Historiae, ob adsertam
ea aetate regno Croatiam; ob Henrici V. Imperatoris expedi-
tionem in Hungaros; ob Ducis Hungariae, regnante rege, di-
gnitatem, periodus: quam tamen, et dissensus Scriptorum do-
mesticorum, et mendacia minime necessaria aequalium Ger-
maniae, tenebris inuoluerunt, e quibus difficulter eluenteris.

Patrem habuit Almus *Geysam I.* (Hungaricum *Victoris*
nomen est, *Gyözö,*) quem *Magnum regem* Hungari dixerunt,
(*Thuroc.* II. 55.) propterea sine dubio, quod regnum sibi, nil
quidquam proficiente, etiam Henrici IV. Imp. adfinis auxiliis,
Salomone, fortitudine et prudentia adseruit. Matrem nemo
adhuc Scriptorum detexit; nisi forte per coniecturas varii va-
rie. Alii Zolomeri, Dalmatiae regis, filiam, Geysae coniugem di-
cunt, quae tamen Hungaris Geysae soror, Zolomeri coniux
est, Helena. (*Thuroc.* II. 47.) Est qui scribat, (*Hundius*
Bayer. Stammreg. P. I. p. 123.) Auentinum, fide Chronici cu-
iusdam veteris S. Emmerami Ratisbon. Henrici, Comitis Riet-
tenburgici, filiam commemorare, quae illa aetate regi cuidam
Hungariae nupserit, et post mariti obitum in Bauarium redie-
rit. Sed nec Bonfinius, neque Auentinus, ea de re quidquam

A 2

memo-